



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XL. Ioannis Papae VIII. Ad Sergivm Magistrvm Neapolitanvm.
Dolet ipsum saepe monitum foedus cum Saracenis soluere noluisse.
praecipit, vt tandem pareat. sin minus, minatur se iterum eum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

spicis eos nobis de die in diem tantummodo velle illudere; saltem tu fac secundum consilium tuum, quod scilicet inspirante Deo, ex prudenti corde salutiferum protulisti. Quidquid autem de his factum, vel non factum fuerit, aut faciendum extiterit, tuis nobis vel missis, vel literis citius indicabis; ut quæ deinceps nobis necessario sunt agenda, facilius & expeditius agamus, præparemus & ordinemus. Data quinto Idus Aprilis, indictione decima.

EPISTOLA XL.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD SERGIUM MAGISTRUM NEAPOLITANUM.

Dolet ipsum sæpe monitum fœdus cum Saracenis soluere noluisse. præcipit, ut tandem pareat. sin minus, minatur se iterum eum excommunicaturum. pollicetur, si fideles legatos miserit, benigne se suscepturum.

Ioannes episcopus Sergio magistro Neapolitano.

De Sergio
Leo lib. 1.
cap. 42.

Isai. 5.

Philip. 3.

DVM verbi Dei semen in pectore tuo etiam per metipsum post crebros missos & literas seminasse, expectabam non verborum folia, sed fructus operum promereri: sed quia super hac parte spes nostra frustrata est, cogor in vocem Domini per Isaiam prophetam aduersus Israeliticam plebem prorumpere, clamans: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectavi ut faceret vvas, fecit autem labruscas?* Verum quia, ut cum Apostolo dicam, *eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium est*; semel te tuosque adhuc admonere non abnuo, ut ab infidelium consortio declinetis, & a tam profano tandem aliquando fœdere recedatis. Quod si nos audieritis, non solum bona quæ cupitis, affluentius ex nobis habebitis, sed & magna præmia cælitus assequemini: sin autem, non solum nos spirituali vos iterato gladio percellemus, sed & hi, qui non sine causa materiales gladios portant, cum sint sanctæ ecclesiæ validi defensores, & feruidi zelatores, cunctis aduersis & prosperis conculcatis, aduersus vos protinus arma corripient, & vindices contra vos impugnatores eius celerius properabunt. Quæ nos scientes, quia vos anima & corpore saluos reddere cupimus, hæc vobis denuntiamus, & cauenda præcipimus.

Ceterum miramur, quomodo vos in literis vestris, quas in ipsa paschali festiuitate suscepimus, inculpabiles tentetis astruere, cum piaculum vestrum totus qui desertus est mundus, & sanguis de terra, qui effusus est, clamet: præueniente autem gratia Dei, cito credimus fore, vt & vos resipiscentes a vinculo quo annexi tenemini, conuenientius absoluamini, & de tua tuorumque salute ipsi cum cælestibus choris pari gaudio perfruemur. Porro si missos destinatis fideles, quibus credere procul dubio valeamus, libenti eos & benigno suscipiemus affectu; & quidquid desiderio vel voto vestro sederit, gratanter administrabimus, fidentes, quod nil impossibile, nil allegaturi sint inconueniens: econtra vero si sine tenus pacti iugum cum infidelibus ducere forte proponitis, scitote profecto quia (vt cum Apostolo fatear) *in virga veniam ad vos*. Data v. ^{1. Cor. 4.} Idus Aprilis, indictione decima.

EPISTOLA XLI.
IOANNIS PAPÆ VIII.
AD EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Queritur Neapolitanos cum infidelibus fœdus iniuisse, nec ab ipso eorum antistite ad viam veritatis reuocari. Quare hortatur, vt ipse & illi resipiscant. præterea pollicetur se benigne suscepturum Neapolitani ducis legatos, si miserit; paratumque ad omnia se fore, quæ pro ecclesiæ Dei vtilitate perficienda retulerint.

Ioannes episcopus ad episcopum Neapolitanum.

RELECTIS literis tuis, quas cœpto iam paschalis festiuitatis officio in die magno suscepimus, nihil quo lætificaremur, reperimus: vnde ingens tristitia, & continuus dolor cordi nostro creuit, & multiplicatus nos vehementer affligit; quia populum ciuitatis vestræ, quæ olim Dei, nunc autem principis tenebrarum effecta est, derelicto penitus creatoris sui amore, videmus iugum cum infidelibus ducere: teque ideo fore obnoxium, quoniam in medio populi polluta labia habentis, pollutum & complicem habitare, nec toto annixu te velle murum pro domo Domini (sicut idoneum Christi athletam oportet) ^{Ex cel. 13.} contemplamur opponere. Cum nos pro huiusmodi causa te ad tanti